



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Legatio Marchionis Lavardini Romam, Ejusquè Cum
Romano Pontifice Innocentio Undecimo Dissidium**

Sfondrati, Celestino

[S.l.], 1688

19. An consultis sit Asyla Ecclesijs adimere, quàm Palatijs Legatorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62944](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62944)

XIX. Decimoquarto: *Consultius facturum Pontificem dicit, si Ecclesiis Asyla, non Palatiis adimeret; Ecclesias enim precibus porrigendis institutas esse, non protegendis flagitiis.*

R. Modesta enimverò petitio, & digna Advocato. Tollantur Ecclesiis Asyla, & dentur Palatiis; & plus valeat in tuentis reis Lavardini reverentia, quam Majestas Dei. Nec interest Templorum Asyla à Deo in veteri testamento, & ab Ecclesia in novo tot sacris Canonibus, tot sæculorum decursu sancita esse; hæc omnia cessent, & in Lavardini cultum vertantur. Qui ita discurrunt, planè ostendunt nihil sibi Religionis superesse; alioquin ex Asylis Templorum inferre potius contrarium deberent, extinguenda videlicet esse Asyla Legatorum. Cùm enim tot sint Romæ Asyla, quot templa, quid opus est illa multiplicari tanto innocentia pacisque publicæ periculo? & quæ ratio, ut cùm non omnia flagitia sint secuta in templis, sint in Lavardini palatio? nec opus est

præsentem Pontificem à Gallis moneri, ne permittat, ut criminosi Templis abutantur; qui enim non patitur illos Legatorum ædibus, multò minùs patietur abuti ædibus Dei.

XX. Decimoquintò: Non possunt enarrari scandala, quæ ex hac Pontificis duritie in hereticis nascuntur; eosquè impediunt, ne vera Religioni accedant.

Rx. Idem quoquè Christo objectum fuit: Scis, inquebant Apostoli, quid Pharisei scandalizati sunt in sermone hoc. Non ideò tamen cessavit Christus causam agere veritatis; imò monentibus respondit: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. In quem locum optimè Divus Gregorius: (a) Inter verba vituperantium semper ad mentem recurrendum est, & si ea non reperitur malum, quod de nobis narratur, in magnam debemus letitiam proflire. Quæ enim debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos esse demonstrat? habemus Paulum

dicen-
(a) *S. Gregor. l. 8. c. 45. ad Pallad. Presbyt.*